

**.SVPPPOSITIONES.**

**S**VPPONATUR ab oculo visus emissos in rectas lineas ferri interualumque quoddam inuicem efficientes. et sub visibus figuram comprehensam esse conum verticem habentem ad oculum basim vero ad fines rerum visarum.

Ea videntur ad quae visus perueniunt.

Ad quae visus non perueniunt ea non spectantur.

Sub maiori angulo spectata maiora apparent.

Sub minori angulo minora.

Aequalia vero videntur quae aequalibus angulis spectantur.

Quae sub sublimioribus radiis spectantur sublimiora apparent.

Sublimiorem radium vocat eum qui cum demissa ab oculo in subiectum planum perpendiculari maiorem angulum ad oculum constituit contra vero humiliorem qui minorem angulum cum eadem efficit dextrum vero aut sinistrum secundum aspicientis positum exempla facile aduertenti succurrent.

Quae vero sub humilioribus radiis videntur humiliora apparent.

Et similiter quae sub dexterioribus spectantur radiis dexteriora apparent.

[Stralsund 28v] Quae uero sub sinisterioribus radiis spectantur, sinisteriora apparent.

Quae sub pluribus angulis spectantur expeditius apparent.